



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Margarita V. M. 20. Iulii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

20. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 451  
gno transverso angustam subire portam  
contendebant; è quibus primus peccan-  
tium, alter ambitiosorum, duo alii in-  
vidorum erant typus. Denique beatâ  
morte ARSENİUS quievit annos natus  
C. XXI. & tunc etiam talisque mortem  
horruit. Certè vivus semper cum strophio  
visus est, quod lacrymas biberit, quas  
mors exprimebat, expressura etiam no-  
bis, si cum ARSENIO memoriae impres-  
sam altius gestaremus. Ex Metaphr.

Necessæ est, ut illucescat dies patientiæ,  
per quam omnia dura tacitâ amplectaris  
conscientiâ, te magis dijudicans, cui dis-  
plicant, quæ ad salutem sunt, & in cogi-  
tatione tuâ semper partem Magistri adver-  
sus temetipsum iuvans, teq; accusare, illum  
excusare laborans. S. Bern. serm. de Circum.

S. MARGARITA V. M. 20. Iulii.

M ARGARITAM in manus damus, vel  
cælo judice pretiosam. Adolescentu-  
la clam parentibus Sacra nostra edocta  
est. Eam ob causam ad Olybrium Præsi-  
dem raptata fuit, ipso (nefas!) parente  
filiam accusante. Gravius etiam pericu-  
lum cudebatur, quando Iudex à formâ  
MARGARITÆ captus amatorem induit,  
& mollibus armis, blanditiis pugnam  
movit. Elusit tamen insidias Virgo pru-  
dens, & Præses larvâ amoris positâ ty-  
rannum prodidit. Virgis initio cæsa, tum  
uncis lacerata & in carcerem date. Ibi  
quoque fatigatam recens hostis Or-

Ff 2

cus

452 VITÆ SANCTORUM. 21. *Iulii.*  
eus exceptit, Draconis exuviis horrendus.  
Sed hunc objecto scuto Crucis repulit,  
precumque jaculis confixit. Victoria Superi  
trophæum posuerunt Crucem mirè  
splendentem, & e cuius apice columba  
Solatia dedit & omnibus vulneribus me-  
dicinam. Triumphum hunc primum or-  
narunt XV. millia hominum in liberta-  
tem Christianam e Deorum servitute  
asserta. Non multò post iterum pugna-  
tum, & in triumphum duæ ignis &  
aqua. Nam & faces ardentes pectori ad-  
motas in sancti amoris flaminas, & a-  
quas, in quas abjecta erat, in baptis-  
mum vertit Deus. Iterum ergo triun-  
phanti columba illa divina palam coro-  
nam imposuit. Invidit Olybrius, & ca-  
put laureatum gladio abstulit. Sed im-  
prudens alteram coronam adjecit. Ex *Su-*  
*rio C. Lippeloo.*

*Diabolica temptationis tibi proponuntur*  
*exempla, ut C. ipse contra hostis callidi*  
*deceptoris insidias sôlerter evigiles, C. dum*  
*te delectat aliorum audire victorias, ipse te*  
*per languidi corporis ignoriam non remit-*  
*tas. S. Pet. Dam. l. 6. Ep. 21.*

S. DANIEL PROPH. 21. *Iulii.*

A Gite Mariani, si virtutis ardua, si tef-  
qua piget calcare, ecce ille magnorum  
regum vates, ille leonum & adeo Deo-  
rum domitor per pomaria illuc vos du-  
cet.